



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

Capvt V. De Effectibus & Vtilitate Confeßionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

gratū me de beneficiis Diuinis animaduertam. Hi sunt similes Phariseo, cuius oratio in **Luc. 18.** sui præ aliis laude consumebatur.

**QVOCIRCA**, qui vult rectè confiteri, dicat oportet: Ego sum, q̄ peccaui; ego q̄ iniquitatē cōmisi; **DEVS** gratiā obtulit, sapius me liberauit: Ego tamē per meā improbitatē, ac summū nefas, in istud me crimē cōieci.

## CAPVT V.

### De Effectibus & Utilitate Confessionis.

*Liberatne Confessio à morte peccati? **Quaestio***

**I.**

***Respōsio.***

**P**ŒNITENTIÆ, in quantū est Sacramentum, præcipua pars est Confessio, quia per eā homo ministris Ecclesiæ se subdit, qui sunt Sacramentorum dispensatores. Deinde contritio votum Confessionis annexā habet, & satisfactio pro iudicio Sacerdotis, cui fit Cōfessio, imponitur. Et quia in Sacramēto Pœnitentiæ gratia infunditur, per quā fit remissio peccatorū, sicut in Baptismo: Ideò eo modo Confessio ex vi Absolutionis coniuncta, remittit culpam, quæ dicitur mors animæ, sicut & Baptismus. Quare Cōfessio dñi peccatorem à culpa liberat, eum à morte peccati liberare dicitur.

*Caput V. De Effectibus et Utilitate*

*Quaestio II. Liberatne Confessio aliquo modo à poena?*

*Respōsio.* Confessio simul cum Absolutione habet vim liberandi à poena dupliciter:

Vno modo, ex ipsa vi Absolutionis, & sic quidem liberat à poena aeterna, sicut etiam à culpa; manet tamen adhuc obligatus ad poenam temporalem; eò quòd inter illius poenae magnitudinem, nostrarumq; virium imbecillitatē vix vlla sit proportio. Veruntamen virtute clauium ita minuitur, vt etiā in hac vita pro ea plenè satisfacere valeamus.

Alio modo, Confessio diminuit poenam propter annexam erubescētiā. Vnde fit, vt quòd sepius quis confiteatur, eò minorē tolerabilioremq; sibi reddat poenam.

*Quaestio III. Aperitne Confessio Paradisum?*

*Respōsio.* A Paradysi introitu prohibetur quis, per culpā, & reatū poenae: & quia huiusmodi impedimenta Cōfessio amouet; vt ex dictis patet, ideò dicitur Paradisum aperire.

*Quaestio IIII. Tribuuntne Confessio spem salutis?*

*Respōsio.* S pes remissionis peccatorum nō est nobis, nisi per Christum, & quia homo per Cōfessionē se subiicit clauibus Ecclesiae, ex passione Christi virtutē habentibus, ideò dicitur quòd Confessio spem salutis tribuit.

Preterea cūm per Confessionem peccator plurimas consequatur virtutes, & hæc spem salutis

salutis tribuant: non potest non Confessio iure optimo dici spem salutis ministrare.

*Extenditne Absolutio Sacramentalis se ita ad peccata oblita, ut virtute eius homo æquè ab oblitis ac à confessis absoluat?*

*Quæstio*  
V.

**VIRTUTE** Absolutionis omninò etiã *Respõsio.* peccata oblita remittuntur, idque probatur multipliciter.

**PRIMO**, quia vnum mortale sine alio remitti non potest: Sed vel omnia simul remittuntur, vel nullum, ac proinde si Absolutio Sacramentalis remittit peccata confessã, oportet etiam & oblita remittat.

**SËCVNDO**, si Sacerdos non remittit, nisi confessã, quandoquidem Christus dixit: *Ioan. 20.* Peccata, quæ vos remisistis, erunt remissã, quæ autem non remisistis, non erunt remissã; sequeretur quòd **DEVS** quædam peccata remitteret, & quædam non; cùm tamen impium sit, dimidiam à **DEO** sperare veniam; & certum sit, **DEVM**, quem sanat, perfectè sanare.

**TERTIO**, quia Absolutio Sacramentalis præstat gratiam ex opere operato: Sed gratia illa Sacramentalis equè repugnat peccatis oblitis in Confessione, sicut & confessis. Igitur omnia tam confessã, quàm oblita remittit huiusmodi Absolutio.

Cap. V. De Effectibus & utilitate

QUARTO, quia aliàs frustra esset Cōfessio in generali: Accusō me de aliis, quorum memoriam non habeo. Cuius contrariū habet communis vsus piorum hominū.

Quaestio Quānam Confessio peccatorum (paucis omnia complectendo) hominibus  
VI. adfert utilitatem?

Responſio. Tanta est Confessionis peccatorum utilitas, ut sine ullis testimoniis, possit quivis homo sapiens facillè intelligere, eam fuisse consilio, numine, benignitate Spiritus sancti institutam.

PRIMUM enim, quantum ad salutem cuiuslibet valeat sui ipsius cognitio, verbis exponi commodè non potest: Ut enim sui ignoratio animum excæcat erroribus, & superbum & insolentem efficit; ita humanae imbecillitatis, & miseriae recordatio ad sapientiae disciplinam mortales instituit.

DEINDE cum nemo possit, nisi per animi submissionem, Christi gratiam consequi; nihil est maiore cura, studio, sollicitudine curandū illis, qui Christi gratiam expetunt, quàm humilitatis istius, in qua est positum pietatis Christianae fundamentū, acerrimum studium, & acris in ea comparanda contentio. Hanc autem humilitatem excitat flagitiorum deformitas, oculis mentis & aspectui proposita, pudor ipsius turpitudinis

pitudinis admissæ, periculū, in quod effrenata mente ruebamus, animaduersum.

Ad hæc omnia in Confessione scelerum, atque flagitiorum continentur: Ea namque subministrat pœnitenti sui ipsius cognitionem, humilitatis & modestiæ disciplinam, dedecoris admissi verecundiam, impendentis periculi metum. Per hanc Confessionem incentes eriguntur; torpentes stimulantur; elati deiiciuntur; imperiti consiliis salutariibus admonentur. Hoc quidē planè constat, cū tempus appropinquat, quo hæc Confessio celebranda est, homines multò modestiores & continentiores effici.

Deinde quod frenum, ad sedandam, & comprimendam hominum potētum arrogantiam, & coërcendam temeritatē, & confidentiam, fortius iniici potest? Videmus enim Principes summos ad Sacerdotū pedes abiectos, eorum reprehensione perterriti, legibus coërceri, monitis erudiri, imperiis à libidine ad officium reuocari.

Hoc Sacramentum pudorem excitat, lachrymas elicit, adulteriis finem imponit, auersam pecuniam restituit, odium extinguit, pacem conciliat, furorem reprimat, vitam, & mores animi componit, & facit vt pœnitenti claudantur mortis, & inferni portæ; recuperetur gratia, & Sanctorum communio; serena ei fiat mens, & hilaris conscientia; animæ sanitas recipiatur,

piatur,

*Cap. V. De Effectibus & utilitate*

piatur, & accepto à Sacerdote salutari consilio, ad ea poenitentiae satisfactionis opera peragenda se accingat, quae illum ab aeterna liberent damnatione, & in coelestem patriam aeterna cum felicitate recipiant.

*Quaestio VII. Valétne Absolutio Sacramentalis Sacerdotis ad remissionem peccatorum, ita ut sit actus verè, & realiter iudicialis, verè, & realiter etiam praestans realem Absolutionem, vel ut declaret duntaxat, poenitentem iam absolutum?*

*Respōsio.* Absolutionem Sacramentalem esse proprii nominis actum iudicum, id efficientem in poenitente, quod verba designant; nisi aliunde impediatur certissima fide credendum est. Cuius rei locupletissimum extat testimonium in Concilio Tridentino, in Sessio. 14. cap. 9. haec verba: Si quis dixerit Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudiciale; sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tamen credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio, sed ioco absoluat, Anathema sit. Vnde colligitur in Absolutione poenitenti non solum remitti partem poenae debitae pro peccatis, & iam iustificatis augeri gratiam; sed & nonnunquam primam

primam gratiam per eam conferri, & accedentem peccatorem ad ipsam, ex iniusto fieri iustum; ex inimico amicum; & ex ingrato, & exoso, atque ad poenas æternas destinato, gratum DEO, & ipsius filium, & hæredem bonorum æternorum.

*Quibusnam locis Scripturæ & rationibus realis hæc peccatorum Remissio, quæ fit per Sacerdotes, probatur?*

*Quæstio  
VIII.*

EX plurimis aliqua adducam.

PRIMO, non est dubium, quin Absolutio Sacerdotum verè præstet realem Absolutionem à peccatis; quia Christus dixit Apostolis: Quorum remisseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Habent igitur Sacerdotes potestatem remittendi peccata lethalia, & iustificandi peccatores; & aliquando verum est, eos remittere exitialia peccata, & ipsa à Deo retineri, quia retinentur, & nō remittuntur à Sacerdotibus. Non enim verè, & propriè remittuntur peccatoribus peccata, nisi, cum primò iustificantur, & ex peccatoribus, & DEO inimicis, iusti, & amici ipsius fiunt. Et cum dicit: Quorum remisseritis, remittuntur; vel cum pollicitus est eis: Quæcunque solueritis, soluta erunt; satis indicavit, non esse prius aut soluenda, aut remittenda,

*Responsio.*

Ioan. 20.

Matt. 16.



*Cap. V. De Effectibus & Utilitate*

tenda, aut saltem aliquando soluenda & remittenda in cœlo, quàm ab eis soluerentur, & remitterentur in terra. Nam si nunquam hocerat futurum, potiùs fuerat dicendum: Quorum remisistis, remissa fuerunt, vel, Quæ solueritis, soluta fuerunt.

SECUNDO, quia Sacramenta legis Euangelicæ id efficiunt, quod significant, ut patet ex definitione Sacramenti: Sacramentum est, inuisibilis gratiæ visibilis forma, sic, ut ipsius imaginem gerat, & causa existat. Similiter ex differentia Sacramentorum veteris legis, & nouæ: Illa enim figurabant, & non operabantur, nec præstabant, quod significabant, ut patet de hostiis, quæ pro peccatis fiebant, quæ cum iustificationem à peccatis significassent, neminem tamen iustificabant iuxta dictum Pauli: Ex operibus legis nemo vnquam iustificatus est. Sed Sacramentum Poenitiæ significat per ipsum fieri remissionem peccatorum, ut ipsa forma Absolutionis ostendit. Quare eam non modo significat: Verùm etiam efficaciter operatur.

Rom. 3.

TERTIO, DEVS peccata non remittit, nisi sint per Sacerdotes remissa, ipso dicente: Quorum remisistis peccata remittentur, & quorum retinueritis, id est, non remisistis, erunt retenta. In quo significat satis apertè, quòd sententia Sacerdotis in terris præcedit sententiam DEI in cœlis: Non

Ioan. 20.

Non enim dixit: Quorum remiseritis peccata, iam sunt remissa; sed remittentur in caelo. Quemadmodum alibi dixit: Quaecumque solueritis in terris, erunt soluta in caelis, in quo innuit, quod sententia à Sacerdote in terris lata, approbabitur in caelo; approbatio autem sententiae praesupponit sententiam latam esse. Igitur falsum est, illam formam; Absoluo te, non significare aliud, quam te absolutum esse ostendo.

Quod inde confirmari potest, quia si ille sit sensus Absolutionis, id est, te absolutum esse ostendo, quaro, à quo absolutum esse peccatorem ostendit, à DEO ne, an ab Ecclesia? Non secundum, cum antea ab Ecclesia absolutus non sit. Nec primum, quia tunc magis conduceret, peccatorem suam iustitiam confiteri Sacerdoti, quam sua peccata; quia ut Sacerdos iudicet illum hominem esse à DEO absolutum, magis conuenit iustitiam talis hominis cognoscere, quam vitia, & peccata ab eo commissa. Quandoquidem per opera charitatis meretur homo à DEO absolui, non per peccata. Cum igitur teneatur non iustitiam, sed sua peccata confiteri; sequitur, quod non ad id tenetur, ut iudicetur dignus, & à DEO absolutus, sed ut à Vicario Christi absoluaatur.

Quod iterum confirmatur, quia si Sacerdotibus non est data maior potestas in hac re, quam

*Cap. V. De Effectibus & utilitate*

quàm ad ostendendum, quis sit absolutus, seu absolute dignus, sequitur, auctoritatis supradictæ sensum esse; Peccata, quæ ostenderit esse remissa, quod videtur absurdum: Nam si remissio, per DEVM facta, præcedit remissionem seu sententiam Sacerdotis; nil igitur ad remissionem peccatorum agit, quòd Sacerdos postea ostendat illum esse absolutum, vel non.

QVARTO, Sacramentum Pœnitentiæ est secunda tabula post naufragium; sicut Baptismus est prima. Igitur sicut Baptismus actu liberat hominem à naufragio, præstando gratiam primam, ita & Pœnitentiæ Sacramentalis; aliòqui si homo semper est iustificatus, antequàm huiusmodi Sacramentum accipiat; quomodo conuenit de hoc Sacramento dicere, quòd est secunda tabula post naufragium?

QVINTO. Si nunquam per Absolutionem Sacramentalem à Sacerdote prolatam, cõfertur peccatori prima gratia, igitur, quod absurdum nimirum est, institutio Sacramenti Pœnitentiæ non fecit lapsis faciliorem viam reparationis, sed potiùs difficiliorem. Adiecta est enim necessitas Confessionis supra ea, quæ ante legem gratiæ requirebantur; neq; tamen per eam faciliùs venit ad gratiam, si nunquam in ea iustificatur peccator.

Si quis dicat, præcepto Confessionis difficiliorem nunc esse factam consequendæ salutis

lutis rationem, solemus istam difficultatem minuere, dicentes, eam difficultatem, hac, re-compensatam esse, quòd per eam multò faciliùs maioriq̃ue compendio, quàm olim, iustificari nunc possumus, ac sepè iustificamur. At verò hæc responsio prorsus tollitur, neq; ei locus esse vllus potest, si nunquam hac via peccator redit in gratiam cum DEO.

SEXTO, qui peccatoribus, in extremis agentibus, vel negligentia, vel aliquo inepto scrupulo pœnitentiã negant, grauius increpantur ab Ecclesia, & animarum homicidæ censentur, vt est videre in Decretis. Aliquan-

Decret. 26.  
q. 6.

do igitur confertur prima gratia peccatoribus per Sacerdotalem Absolutionem: Nam si nunquam ea per ipsam confertur, non est, cur homicidæ animarum cœseri queant, cum nullus ob ipsorum negligentiam, aut crudelitatem, pereat.

*Nunquid SS. Patres, & veteres Doctores Ecclesiæ realem hanc peccatorum remissionem, quæ fit per Sacerdotes, etiam agnouerunt, & docuerunt?*

*Quæstio:*  
IX.

**M**aximè. Pleni sunt eorum libri testimoniis, quibus hanc suam sententiam testatam reliquere.

*Respōsio.*

Hilarius Petro hanc autoritatem elegantissimè

Hila. c. 16.  
in Matth.

*Cap. V. De Effectibus & utilitate*

tissimè vendicat ex illis verbis: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram &c. Et quia hac in parte par est ratio de aliis Apostolis, & de omnibus Sacerdotibus, qui legitimè possunt Confessiones audire; haud dubiè quin & eadem ille de omnium ipsorum autoritate dicta esse voluerit.

Matt. 16.

Verba Hilarij ad Petrum, cùm extollit præmium, quod consecutus est per illam suâ Confessionem: Tu es Christus Filius DEI viui, hæc sunt. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur, cuius terrestris iudicium, præiudicata authoritas sit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiu dem conditionem obtineant & in cœlo. Hæc Hilarius. Quæ manifestè docent, quod volumus: Nunquam enim per terrestris Petri iudicium præiudicata authoritas erit in cœlo ad soluendum aliquem peccatorem, si nunquam Petrus, aut ipsius authoritatem habentes, conferre queunt primam gratiam peccatoribus, vt idè soluantur à DEO in cœlo, quia soluti sunt ab ipsis in terra.

Augustinus in libro contra quinq; hæreses. Neque eos audiamus, inquit, qui negant  
Catho-

Catholicam Ecclesiam omnia peccata posse dimittere. Illi enim in Petro petram non intelligunt, & non intelligentes Ecclesiae datas esse claves regni caelorum, eas de propria manu amiserunt.

Et alibi. Per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum.

Aug. 2. de  
adult. con.  
iug. cap. 9.

Chrysostomus ex his verbis colligit, Apostolos potestatem quandam & gratiam spiritualem accepisse, ut remitterent peccata, & magnam esse dignitatem Sacerdotum, qui eandem habeant, ac tandem subdit. Etiam si pravi sint Sacerdotes, Dominus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritum sanctum.

Theophylactus in eadem verba. Vide in super Sacerdotum dignitatem, quod Divina sit. DEI enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt, ut DEVS. Nam quamvis indigni sint, quid hoc? Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos.

Cyrillus in illis commentariis, omni laude dignis, quos scripsit in Ioannem, quaestio- nem proponit huiusmodi: Qua ratione Diuinae naturae dignitatem, ac potestatem discipulis suis Saluator eisdem verbis largitus est; Na certe solius veri DEI est, ut possit a peccato homines soluere. Cui enim alij puaricatores legis liberare a peccato licet, nisi legis ipsi auctori? Et continuo ipse sibi ita respondet. Quia certe absurdum non est, peccata remitti posse

Cyrl. in  
Ioan. 12.  
cap. 56.

*Cap. V. De Effectibus & Utilitate*

posse ab illis, qui Spiritum sanctū in seipsis habeant: Nam cū ipsi remittunt, aut detinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, aut detinet.

Nunquam sanè, neque hanc quæstionem proposuisset Cyrillus, neque eiusmodi quæstionem subiecisset, si non pro certo habuisset, ex his verbis conuinci, Sacerdotes verè & propriè ex autoritate sibi tradita, & vt ministros Spiritus sancti, posse peccata remittere.

Bern. serm.  
1. in die A-  
post. Petr.  
& Pauli.

Et hoc est, quod Bernardus de Petro nobis commendat his verbis. Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cū mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit; qui Simonem Magum spiritu oris sui in aère attigit, qui clauēs regni cælorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri, sententiam cæli? Taceo reliquos plurimos, qui in eandem sententiam scripserunt.

*Quæstio X. Cū remissionem peccatorum homo in contritione consequatur, quomodo Sacerdotes dicuntur peccata remittere?*

*Respōsio.* PRIUSQUAM ad quæstionis decisionem veniam, nonnulla mihi absque argumentorum confirmatione, propterea quod perspicuam.

spiciam & indubitam contineant veritatem, præmittenda sunt.

**PRIMUM** est, quòd homo propter peccatum tres maximas incurrit calamitates: Quippe amicitia excidit Diuina, eius se inimicum constituit: Deinde fit reus æternæ poenæ, tùm perpetuus manet exul à regno cœlorum, quod sibi per peccatum occlusit.

**SECUNDUM** est, quòd pro offensa, & iniuria **DEO** per peccatum illata, necessarium est illi satisfacere, nec potest homo aliter **DEO** satisfacere, nisi id reddat, quod Dominus ipse in satisfactionem exegerit, & interim dum huiusmodi satisfactio **DEO** non fit, non dicitur homo omninò à peccato liber.

**TERTIUM** est, quòd **DEVS** à peccatore pro offensa contra eum commissa duplicem exigit satisfactionem, scilicet interiorem, & exteriorem. Per primam debet se homo à peccato auertere, & ad **DEVM** conuerti, cum proposito exterioris satisfaciendi. Per secundam debet se homo **DEO** humiliare, per suorum criminum Confessionem, & ab eo veniam petere; quæ cum fieri non possint coram Christo localiter in terris habitante, cùm in cœlis tantùm visibilter ad dextrâ Patris sedeat, opus est, vt fiant coram Vicario suo, quem in terris reliquit, cui in hac re vices suas commisit, hoc est, Sa-

**K**           cerdoti.



*Cap. V. De Effectibus & utilitate*

cerdoti, cui potestatem remittendi peccata concessit.

**Q**UARTVM est, quòd per primam satisfactionem, id est, cordis veram poenitentiam homo **D E O** reconciliatur, & consequitur **D E I** amicitiam, simul & remissionem poenae inferni. Ex quo fit, vt duo priora, quae diximus, damna euitet: Attamen homo manet adhuc exul à regno **D E I**, quod illi clausum erit tantisper, dum secundam satisfactionem adimpleat. Vnde ad hoc datae sunt Sacerdotibus clauis regni caelorum, id est, potestas remittendi peccata, vt per Sacerdotes huiusmodi potestate vtentes, & peccatores à suis peccatis absoluentes, eis regnum caelorum, quod illis ob peccata priora clausum fuerat, aperiatur. Et hoc modo completur remissio peccatorum per huiusmodi Sacerdotalem Absolutionem, quae capta fuerat prius per contritionem.

**D E V S** igitur per contritionem remittit peccata, quantum ad maculam, & debitum aeterni cruciatus; verum quod ad restitutionem ab exilio caelosque aperiendos pertinet, reliquit peccata Sacerdotibus remittenda.

Exemplum huius est clarum in sanctis Patribus, qui erant in sinu Abrahæ, vbi nullam habebant culpam, nec poenam, præter id, quòd illis ob peccatum erat clausum regnum caelorum, quod illis minimè erat aperi-

ent.

riendum, nisi peracta satisfactione à DEO instituta, quæ in passione Christi fuit adimplenda, & ex eo tempore præfatis Sanctis fuit apertum regnum cælorum, ut viderent gloriam DEI. Hinc est quod vsq; ad Christi passionem dicebantur omnes in peccato esse, quantumvis sancti & amici DEI, propterea quod in eis præfata pœna exilij à regno cælorum permanebat.

Iam sequitur apertè, quod Absolutio Sacramentalis actu remittere dicitur peccata confitentis, etiam si prius fuerint per contritionem quodammodo remissa; non tamen plenè, quousque à Sacerdote remittantur.

*Cum nemo tollat peccata, nisi solus DEVS, qui est agnus tollens peccata mundi; quomodo Sacerdotes in Confessione dicuntur hominibus peccata remittere?*

*Questio*

XI.

Marc. 2.

**HOC** argumento quidam freti, grauius Catholicos obiurgant; quasi ex Sacerdote DEVM facerent, qui ei potestatem, soli DEO competentem, tribuunt. In Evangelio enim scriptum legitur: Quis potest dimittere peccata, nisi solus DEVS? At nos eis aliud non respondemus, quàm quod

*Responsio.*

Marc. 2.

K 2

olun

*Cap. V. De Effectibus & utilitate*

Hug. 2. de olim huic calumniae Hugo de S. Victore re-  
Sac. part. spondit. Non ego Sacerdotes DEOS facio,  
14. cap. 8. sed sermo Diuinus, qui mentiri non potest.  
Exod. 22. Diis, inquit, non detrahes, & Principi po-  
puli tui non maledices. Isti verò, contra le-  
gis præceptum, Diis detrahunt, quia pote-  
statem Diuinitis collatam, Sacerdotibus au-  
ferre volunt.

Et vt ostenderet, quantum interesset in-  
ter modum, quo DEVS peccata remittit,  
& quo Sacerdotes, & neutrum alteri repug-  
nare, subdit: Neque verò ego Sacerdotibus  
potestatem dimittendi peccata tribui; ille  
hominibus potestatem Diuinam tribuit,  
qui de hominibus DEOS fecit. Sed tamen  
ipse sicut ex semetipso DEVS est, ita etiam  
per semetipsum, quando vult, sine humana  
cooperatione peccata dimittere potest. Hi  
verò, qui ex semetipsis Dij non sunt, nisi eo,  
à quo sunt hoc, quod sunt, in eis, & per eos  
operante, & eis cooperante, peccata dimit-  
tere non possunt. Hæc ille.

**Eccli. 31.**

Quomodo ergo solus DEVS bonus est,  
nec tamen inde sequitur bonos non esse etiam  
eos, qui Domino seruiunt; & quomodo so-  
lus DEVS mirabilia facit, & de iusto ho-  
mine dicitur: Fecit enim mirabilia in vita  
sua, ita, licet solus DEVS dicatur dimitte-  
re peccata, cum hoc consistit, & Sacerdo-  
tes peccata dimittere; quia solus ipse à se  
& principaliter hoc facit per ipsos, & sine  
ipsis;

ipsis; ipsi verò tantum vt ministri & instrumenta illius ex dono, & gratia, & autoritate, & operatione ipsius.

Quomodò verum est Ezechielis dictum: Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor peccatorum eius; *Questio XII. Ezech. 18.*

si remissio peccatorum demùm in Confessione à Sacerdote est expectanda?

**N**ON obstat allegatum dictum Ezechielis, quò minus remissio peccatorum à Sacerdote in Confessione accipi debeat, cum illa promissio DEI, quâ gementi salutem æternam promittit, intelligitur, modò alia fecerit, quæ illi necessariò sunt agenda: Talem enim conditionem & legem admittunt sæpe Diuinæ promissiones; quando dixit Christus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Certè hæc promissio non excludit necessitatem aliorum, putà, Pœnitentiæ, & obseruationis aliorum mandatorum. Similiter quando dixit: Qui manducet carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, non propter hoc excluditur aliarum rerum necessitas. Ad hunc modum complur. alia Scripturæ loca sunt intelligenda. *Respõsio. Marc. 16. Ioan. 6.*

Cap. V. De Effectibus & utilitate

**Quaestio** *Cum Sacerdotes potestatem ligandi realiter, qua possint solutos vinculo exclusionis à regno caelorum ligare, non habeant, quomodò habere dicuntur potestatem soluendi realiter?*

**Responso.**

Ioan. 20.

**C**um Christus Sacerdotibus pariter dederit potestatem soluendi & ligandi, dicens: Quaecunque solueritis in terra, erunt soluta, & quaecunque ligaueritis, erunt ligata: & certissimum fit, quòd talem ligandi potestatem non habeant, qua possint solutos vinculo perpetuae exclusionis à regno caelorum ligare: Videri certè alicui possèt, quòd similiter nec potestatem soluendi realiter habeant, qua videlicet possint ligatos ab eodem vinculo soluere. Verùm facillè huius collectionis falsitas apparet, si quis intelligat; quòd longè aliter ligare, & soluere accipiatur in foro poenitentiali, quàm in foro contentioso. In foro poenitentiali non ligant positivè, seu effectivè ipsos peccatores, qui seipsos per peccata propria ligauerunt; sed ligant negativè; quia scilicet non absoluunt. Sicut in eodem foro poenitentiali non retinent peccata hominum positivè, sed negativè, quia scilicet, non remittunt. Ideò Sacerdote non remittente, nec hominem à peccatis solven-

te, ma.

te, manet ligatus. Eo autem solvente & remittente, soluitur ligatura. In foro contentioso autem possunt Sacerdotes positivè solvere, & ligare per excōmunicationem. Unde ratio diuersitatis satis apparet.

## CAPVT VI.

## De Ministro Confessionis.

*Estne Sacerdos tam necessarius Minister Sacramenti Pœnitentiæ, ut soli ipsi confiteri oporteat, & non alij?*

*Quæstio  
I.*

**I**RCA Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ declarauit S. Synodus Tridentina; falsas esse, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clauium ministerium perniciosè extendunt; putantes verba illa Domini: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunq; solueritis super terrâ, erunt soluta & in cœlo.* Et quorû remiseritis peccata, re-

*Respōsio.  
Cōc. Trid.  
Sessio. 14.  
cap. 6.*

*Matth. 16.*

K 4 ta, re-